Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

liel in ipso habitu sicut prius ueniat. et in ipsa noctis hora adhuc me nec ualde soporante: et dicit michi. Quare dissimulasti kyrie: et non preteristi et retulisti iohanni episcopo? Numquid non uides quanta siccitas est et tribulatio in toto mundo? et tu negligenter agis. Surge igitur et dic illi ut aperiat nobis et faciat locum orationis. ut per intercessionem nostram misereatur dominus populo suo. Ego uero aio ad eum. Non egi dissimulanter domine mi: sed rogaui dominum meum et dixi. Domine ihesu christe si ex te est hec reuelatio siue uisio. secundo et tercio appareat michi. et nunc domine ecce secunda uice uenisti et letificasti me. si tercio ueneris plenius exhilarabor. Cumque hec audisset. manu significauit dicens. Ignosco ignosco ignosco. Hec cum dixisset. dicit michi. Audi presbiter. Cui ego respondi. et dixi. Loquere domine quia audio. Et dixit michi. Quia hesitasti in corde tuo dicens. si fuerit ut inueniam locum. putas ut in uno loco positos omnes inueniam? Quod si ita euenit. quemadmodum potero discernere reliquias singulorum? Hec ergo intra temetipsum cogitabas. Cum ergo negare non potuissem dixi. Uerum est domine. ita uoluebam in animo meo. omnia nosti. et nichil te latet. Et dixit michi. Non sumus ut putas in uno loco positi: sed unusquisque nostrum suum locum habet. Animaduerte itaque que dico tibi et intende animo. Et respiciens uidi illum extendentem manus suas ad celum et orantem. et statim deposuit coram me quatuor galathos tres aureos. et unum argenteum plenos rosis. et unus ex ipsis plenus erat croco. Unus uero de tribus galathis rubentes ualde rosas habebat tamquam sanguinem. quem ad dexteram meam posuit. alii uero duo pleni erant rosis albis in modum niue. sed rose erant. Et quartus galathus croceum habebat. cuius odor fragrabat: et posuit illos in conspectu meo. et dicit michi. Uides hos galathos? Et aio ad eum. Etiam domine. Et dixit michi. Isti galathi sunt loculi nostri in quibus iacemus. et he rose reliquie nostre sunt. Et sicut uides hunc galathum rosas pulcherrimas habentem ad dexteram tuam positum. ita cum aperire ceperis locum. inuenies istiusmodi sepulchrum. Et introgressus reperies in dextera introitus parte loculum. ipse est sancti stephani. Et ne dubitare uelis. quia ipse solus ex nobis meruit martirio coronari. ideo in orientali parte boree id est aquilonis positus est. Alius uero loculus. ipse est nichodemi neophiti. Qui paululum eminencius est. ipse est meus et filii mei. quia et nos neophiti fuimus. Et ego uero aio ad eum. Rogo domine mi. quare unus galathus argenteus est? Et dicit michi. Abibo filius meus castus et immaculatus excessit e mundo. propterea in similitudine argenti mundissimi apparuit. Numquid non uides crocum. qui in ipso suauissimos odores emittit? Et cum hec dixisset: denuo ex oculis meis euanuit.

Cumque expergefactus fuissem. gratias egi deo omnipotenti: et consuetis te iuniis dedi operam usque ad terciam reuelationem. In tercia igitur septimana. eadem die et hora uenit supradictus uir comminans et fremebundus.